

P. Petrus Pérez Fuertes (1867-1953)*(Vice-Provinciae de México)*

Nomen P. Petri Pérez in libris Provinciae Hispanicae scriptum est. Anno 1953 e vita discessit; sed nunc, post quinquagesimum anniversarium adventus Redemptoristarum in Mexicum, ubi ipse magnam partem vitae transegit, eius necrologium in Analecta C.S.S.R. assumere convenit.

P. Pérez tribus praestantibus Provinciae Hispanicae eventibus adest: anno 1883 inter primos iuvenistas numeratur quibus Iuvenatus de El Espino initium sumit; anno 1896 membrum est Communitatis in San Juan (Puerto Rico); anno 1908 electus est ut foundationem Vice-Provinciae Mexicanae dirigeret. Hac de causa nomen eius dignum est quod inter praeclaros S. Alfonsi filios numeretur.

P. Pérez natus est in Posadilla de la Vega in Hispania, Provincia Legionensi, dioecesi Asturicensi, anno 1867, die 12 mensis aprilis. Postquam 16 annos apud parentes suos, eximiis virtutibus notos, piissime vitam degit, anno 1883 Iuvenatum de El Espino ingressus est. Hic quidem Iuvenatus modo conditus erat, P. Matthia Raus Vice-Provinciali ac P. Desnoulet Directore. Itaque P. Pérez inter primos Novitios numeratur quorum tota studia in hoc Iuvenatu confecta sunt. Die 24 mensis septembris anni 1887 undecim primi ex-alumni veste Redemptoristica induti sunt eadem Spinensi domo; at post tres dies Novitiatus Asturicam translatus est. Ex illis professionem religiosam fecerunt novem, die 24 mensis septembris anni 1888. Tandem die 28 mensis decembris anni 1893 Asturicae ordinationem sacerdotalem receperunt.

Absolutis studiis, P. Pérez Philosophiae Lector factus est. Illo munere fungitur ad annum 1896, quo ad Communitatem de San Juan (Puerto Rico) missus est. P. Pérez fere unus fuit qui, P. Antonio Bartolomé duce, in parvo templo Sanctae Annae dicato laboraret; necnon in missionibus civitati San Juan vicinis. Difficiles quidem anni in Puerto Rico; nam anno 1898 initium ac finem sumpsit bellum cum Statibus Foederatis qui insulam militibus potiti sunt. Sacerdotes hispani infestis oculis a modo occupantibus insulam conspiciebatur, ac res erat difficilis. Per duos annos missionarii pacem consequi conati sunt nec res ad exitum venit. Sic in Hispaniam reverti statuerunt. Die 31 mensis maii anni 1900 terram hispanam iterum attigebant.

Prudentia ac virtus Patris Pérez, necnon bona aestimatio apud Superiores Maiores ostenditur, cum 34 anno aetatis, mense decembri anni 1901, Rector domus de Nava del Rey nominatus est; ac deinde, post mortem P. Francisci Rodrigo, anno 1902 Rector domus B.M.V. de Perpetuo Succursu Matriti; quae quidem est Provincialis domus. Fuit quoque Granatae per tres annos; ac anno 1907 Rector nominatus est domus in Pamplona; triennium vero absolvere non potuit.

Etenim Provincia hispana Congregationem in Mexicum transferre statuerat. Et P. Pérez multis virtutibus praeditus erat quibus novi operis dux esse posset. Nam praeter prudentiam ac pietatem, nonnullas cogitationes habebat rerum americanarum. Itaque 41 anno aetatis suae in Mexicum missus est, ut domorum foundationes in illis terris dirigeret. Eius primus socius, P. Del Pozo, 35 annorum erat. Hi duo Patres in portu civitatis Veracruz mexicanam terram attigerunt die 8 mensis martii anni 1908. Fertur ut primum in terra mexicana stetit, P. Pérez dixisse: « Crux mea iam incepit ». At ante hanc crucem praevisam non timuit, neque deinde ante alias cruces non praevisas timebit. Animus fortis est aliquid peculiare Patri nostro.

Die 7 mensis iunii anni 1908 domus in civitate Veracruz, et die 9 in civitate Cuernavaca fundatae sunt; in his domibus 13 Patres et 6 Fratres qui tunc in Republica mexicana erant, vivebant. P. Pérez sedem habebat in civitate Veracruz ac munere fungebatur Rectoris domus et Visitoris. Etsi civitas Cuernavaca prope civitatem Mexicum sita est, tamen utilis erat domus in Reipublicae capite. P. Pérez nihil intentatum reliquit ut hoc consequeretur ac labor eius coronatus est. Nam mense octobri anni 1909 nostris concedebatur templum Sanctissimae Trinitatis in civitate Mexico. Anno igitur 1910 Redemptoristae tres domos habebant in Republica mexicana; P. Pérez sedem suam mutat in Reipublicae caput; ac domus Rectoris et Visitoris munere ibi fungitur.

Anno 1910 gravis fit mutatio in Republica mexicana. Praeses Porphyrius Díaz, vi coactus a gubernaculo recedit. At novi praesides, experientia democratica carentes, Rempublicam feliciter dirigere non valuerunt; ac ex his intranquillitas nationi, Ecclesiae vero pericula orta sunt. P. Pérez haec omnia praevidebat ac anno sequenti 1911 aliam domum in civitate Monterrey consequitur, quae quidem proxime abest a finibus Statuum Foederatorum. Anno 1913 in civitate Oaxaca quintam domum fundavit. Hunc laborem prosequi non potuit quia Respublica in magna perturbatione versabatur. Etenim hoc ipso anno 1913 Franciscus Madero, Praesidis Porphyrii Díaz successor, occisus est. Post Franciscum Madero Reipublicae praefuit Victorianus Huerta, qui multis non placuit; ac novae pugnae ortae sunt. Hac occasione inimici Ecclesiae ipsam ut

Victoriani Huerta defensorem iniuste accusaverunt. Episcopi, sacerdotes, religiosi multa mala passi sunt; aliqui ex nostris Rempublicam reliquerunt. Communitates civitatum Monterrey, Veracruz et Cuernavaca per multos menses dissolutae sunt. Dux Venustianus Carranza fit Praeses ac novas imponit leges; ex illis multas contra Ecclesiam. Hae leges anno 1917 probatae sunt. Missionariis Redemptoristis res erat difficillima; nam vi earum sacerdotes extranei in Mexico esse non poterant. Prudentia ac ingenium Patris Pérez conantur ut Redemptoristae has iniustas leges fugiant. Quod ipse ita ad felicem exitum perducit ut his difficillimis temporibus sexta domus in civitate Puebla nostris concedatur anno 1917.

Post haec Ecclesia quadam tranquillitate frui potuit. Anno 1919 templum in civitate Cuernavaca, anno vero 1920 templa in civitatibus Veracruz et Monterrey recuperare potuerunt. Tempore aestivo huius anni 1920 Superior Provinciae Hispanicae, P. Nicanor Mutiloa, Vice-Provinciae mexicanae visitationem canonicam instituit. Ab anno 1920 ad 1925 Ecclesiam pacem habuisse dicere possumus. Hoc tempore P. Pérez, ut primus Vocalis Provinciae Hispanicae, Romam petivit ut Capitulo Generali anni 1921 adesset.

Nominationes mense augusto anni 1921 signatae ab humeris Patris Pérez tollebant pondus Viceprovincialatus, quod ab anno 1908 sustinuerat. Per 13 annos laboraverat ut Congregatio novas domos consequeretur et ut illae florent. Nunc ut Rector mittitur in civitatem Veracruz, ubi fuerat ab anno 1908 ad 1910. Mense iunio anni 1924 a civitate Veracruz discedit et in civitatem Puebla ut Rector mittitur. Post aliquos menses adest Superiorum conventui, habito in urbe Mexico, cui praeest P. Baldomerus Fernández Silva.

At tempora Ecclesiae iterum adversa erant. Templa ad Reipublicae administrationem pertinent. P. Pérez templi nostri civitatis Puebla partem externam parietum lapidibus cuiusdam valoris ornare voluit. Quidam ad auctoritates rem detulit; quae, ut opera non prosequerentur, iusserunt. P. Pérez haec novit; sed memor P. Sportelli, ut decretum per aliquos dies dum opera absolventur occultum maneret, adeptus est. Cum aliqui lapides deerant ut collocarentur, decretum publicum factum est ac P. Pérez ab opere cessavit affirmans lapides qui deerant se non esse collocaturum.

Mense novembri anni 1924 Reipublicae mexicanae factus est Praeses Plutarchus Elias Calles. Omnes optime noscunt et mala et adversa quae hic Praeses in Ecclesiam intulit. Sive a se ipso sive a ministris conatus est ut leges contra Ecclesiam opere complerentur; et novas creavit, ita ut Ecclesiam omnino delere tentaret. Anno 1926 omnes sacerdotes extraneos ex Mexico pellere voluerunt.

Episcopi, Pio XI approbante, statuerunt ut cultus religiosi suspenderentur, incipiendo mense augusto per indefinitum tempus. Omnes Communitates dissolutae sunt. Congregati partim ex Mexico expulsi sunt; partim in longinquas regiones fugerunt; partim vero ad templa permanere potuerunt.

P. Pérez per omne tempus ad templum Sanctissimae Trinitatis civitatis Puebla permansit. Cur non est detectus? Quia Deus eius ingenium adiuvit. Si quis, dixit ostiario, domum inspectum veniat, statim id ad me defer. Absque ulla difficultate inquisitores domum inspiciendi veniam obtinebant; at numquam Patrem Pérez viderunt. Ubi occultus manebat? Nemini umquam hoc dixit.

Tempore aestivo anni 1929 auctoritates ecclesiasticae cum Praeside Aemilio Portes Gil conveniunt; ac populo catholico gaudente, auctoritatibus civilibus invitatis, sacerdotes in templa redeunt. Mense octobri anni 1930 fere omnes Redemptoristae Mexici in civitatem Torreón convenerunt ut Sanctuarium Matri nostrae de Perpetuo Succursu dicatum instaurarent. Quod quidem Sanctuarium tempore per quod cultus religiosi suspendebantur, aedificatum est. Pater Pérez, iussu Superiorum, orationem sacram habuit dum P. Fernández Silva missam solemnem cantavit. At Congregatio domos civitatum Cuernavaca, Oaxaca et Veracruz amisit; et eas numquam recuperavit. Ab anno 1930 ad 1939 P. Pérez domui civitatis Puebla praeest. Iterum eximiae virtutes Patris Pérez ad cultum religiosum templi ordinandum apparent.

Anno 1939 P. Fernández Silva in suo munere Viceprovincialis cessat; et eius loco nominatur P. Eduardus Perea. P. Pérez in civitatem Mexicum mittitur ut iterum esset Rector necnon Consultor Viceprovincialis. Ut fecit in civitate Puebla, magno ardore cultui templi se dedit. Cum anno 1942 mense aprili finem imposuit triennio, P. Pérez 75 annorum erat. Iubilaeum aureum professionis religiosae iam celebrarat (1938) ac in eo erat ut quinquagesimum anniversarium ab ordinatione sacerdotali celebraret (1943). Optima valetudine fruatur ac iuvenili animo munus Viceprovincialatus accipit; neque difficilia itinera timet, ac omnes domos Mexici et insulae Cuba et Americae centralis visitat. Aliam domum fundat in civitate Mexico; ac domui et templo civitatis San Luis Potosí locum magis idoneum praeparat. Communitati Sanctissimae Trinitatis in civitate Mexico domum aedificat; et statuit Iuvenatum aedificandum esse in civitate San Luis Potosí.

Die 16 mensis maii anni 1946 P. Antonius Armada nominatus est Superior Viceprovincialis; et P. Pérez in civitatem Monterrey missus est ut huius domus esset Superior. Cum in hac civitate esset, a P. Antonio Armada delegatus est ut in civitate San Luis Potosí solemnitatibus praeesset inaugurationis novi Iuve-

natus pro quo multum laboraverat. Triennium completum in civitate Monterrey absolvere non potuit: die 29 ianuarii anni 1948 primae nominationes factae sunt post Capitulum Generale anni 1947. P. Pérez ut a muneribus removeretur postulaverat; quod anno 1948 adeptus est. Per 47 annos sive Rector sive Vice-provincialis fuerat.

Nunc, antequam huic biographiae finem faciamus, de virtutibus Patris Pérez aliquid dicere nobis liceat. Ut Superior in persecutionibus religiosis animi magnitudinem ostendit; in rebus materialibus ingenium praevidens praebebat, necnon sagacem spiritum de quo loquitur Sacra Scriptura; opera ac subditorum merita non contempsit. Merito obedientiae fretus vim exigendi in gubernando adhibuit, cum fuit Superior; cum vero subditus, docilis in obediendo. P. Pérez, cum ecclesiis nostris praefuit, nihil intentatum relinquebat ut cultus divinus et dignus et splendens esset. Desiderabat ut omnes sacrae orationes optime essent paratae; et ipse aliis exemplum praebebat. Ut confrater, gratus erat in sermonibus iocis conditis, et amoenus. Magnus eius animus neque in adversis deficiebat atque hunc ipsum in alios infundebat. Et in rebus secundis et in adversis sui ipsius dominus fuit. Quamvis senex, temporibus praesentibus accomodatam vitam degebat.

De eius virtutibus haec pauca addenda nobis restant. Omnes novimus conditionem Regulae nostrae, quam semper in praxim deduxit. Affirmare possumus esse magnam virtutem obedientiam illius qui per 47 annos Superior fuit. Eius oratio praesertim ultimis annis vitae constans fuit et apostolica; nam ut ipse dicebat, multum pro missionibus orabat. Postquam per fere duos menses gravi morbo laboravit, die 20 mensis martii 1953, octogesimo sexto aetatis suae anno placidissime in Domino quievit.

Missum e San Luis Potosí, México.

